



**R. P. Martini De Esparza Artieda, Navarri, Theologi Societ.
Iesv, Cvrsvs Theologicvs**

In decem Libros, & duos Tomos distributus, Ivxta Methodvm, Qva In
Scholis Societatis Iesv communiter traditur annis quaternis

Continens Primam Partem, & Primam Secundæ D. Thomæ. Ad Alexand.
VII. Pont. Max.

Esparza Arteida, Martin de

Lugduni, 1666

IV. Vtrum sit de ratione virtutis Theologicæ, vt feratur in Deum super
omnia?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94815](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94815)

dilectionem omnium perfectionum diuinarum, per se loquendo. Verum quia dum sumus in via, voluntas nostra, non est perfecte vnita diuinæ voluntati affectione iustitiæ, & affectione commodi; neque hæc posterior est totaliter subordinata priori, vt contingit in Patria, idèd necesse fuit, vt darentur viatoribus duæ virtutes pertinentes ad voluntatem, quarum altera coleret Bonitatem diuinam secundum se, cum exclusione omnis peccati lethalis, quod præstat Charitas. Altera verò intenderet eandem Bonitatem, quatenus bonam intendenti, etiam in statu peccati lethalis.

Art. 3. Datur ratio sufficiens ad constituendas tres Virtutes Theologicas specie inter se distinctas, & non multiplicandi vllam præterea aliam. Aliæ namque Virtutes distinctæ ab his tribus, quæ maximè circa Deum versari videntur, vel sunt purè naturales, vt habitus diligendi Deum super omnia naturaliter occurrentia, habens proinde principium limitatæ perfectionis, nempe actus naturaliter elicitos: vel habent pro motiui formali, aut adæquato, aut præcipuo aliquid creatum, vt Sapientia, Religio, & similes, de quibus in loco.

Ad 3. Perfectiones rerum creaturarum non habent eam inter se coniunctionem, & identitatem rationis, quoad vim mouendi formaliter Intellectum, ac Voluntatem, quæ explicata modò est in perfectionibus diuinis, & propterea ex causalitate perfectionum creaturarum plures, ac limitatiores virtutes gignuntur, quàm ex causalitate diuina.



QVÆSTIO IV.

Vtrum sit de ratione Virtutis Theologice, vt feratur in Deum super omnia?



IDEATUR non esse. 1. Quia si esset de ratione Virtutis Theologice, vt feratur in Deum super omnia; ideoque, vt præferat Deum rebus omnibus creatis. Virtutes Theologice redderent hominem impeccabilem. Peccari enim non potest, nisi præferendo aliquid creatum Deo, quod fieri non potest ab eo, cui inest contraria animi dispositio, ac præparatio. At nihil inest homini viatori, quod ipsum reddat impeccabilem. Ergo Virtutes Theologice quæ ipsi inest etiam viatori non hoc habent ex conceptu suo, vt ferantur in Deo super omnia.

2. Cum actu Virtutis Theologice componi potest actus venialiter peccaminosus vitij contrarij. Ergo Virtus Theologica non præferat Deum cæteris omnibus sibi contrariis, sed quibusdam tantum.

3. Sapè eliciuntur actus Theologici absque actuali aduertentia ad vllum motiui creatum; quidni ad omnia motiua creata? Imò eò melius, ac facilius exercentur Virtutes Theologice, quòd mens est magis abstracta à consideratione, & aduertentia rerum creaturarum. Nequit autem vnum obiectum præferri alteri, aut vllò pacto comparari cum altero absque actuali aduertentia ad vtrumque extremum comparationis. Ergo non est de ratione Virtutis Theologice prælati Dei respectu creaturarum omnium, imò nec respectu vllius rei create.

4. Non potest voluntas per aliquem suum actum ferri in vnum obiectum super aliud obiectum, seu præferre vnum obiectum alteri, nisi intensius amet illud, quod præfert, quàm illud, cui præfert: Non est autem de ratione Virtutis Theologice, vt quilibet eius actus sit intensior, quàm quilibet actus peccaminosus.

R. P. Esparza Curs. Theol. Tom. I.

nosus. Quinimò rarissimè contingit, vt aliquis, aliquando tanta cum intentione, & applicatione animi feratur in Deum, quanta cum intentione, & animi applicatione frequentissimè feruntur peccatores in bona temporalia delectationis, & vilitatis propriæ, quæ maximè amant. Quod locum etiam habet in intellectu. Plures enim sunt Hæretici, & Gentiles, qui erroribus suis pertinacius, adeoque intentius adherent, quàm adherent nonnulli Catholici veritatibus Fidei. Non ergo est de ratione Virtutis Theologice, vt feratur in Deum super omnia.

5. Si esset de ratione Virtutis Theologice ferri in Deum super omnia, non esset prærogatiua specialis Charitatis, vt præferat Deum omnibus aliis rebus. Est autem hoc prærogatiua specialis Charitatis. Propterea enim illi adscribitur, vt feratur in Deum ex toto corde, ex tota anima, & ex totis viribus; quod nihil aliud re ipsa est quàm præferre Deum rebus omnibus aliis. Ergo huiusmodi prælatio Dei super omnia creata, non est communis omnibus Virtutibus Theologicis; ideoque non est de ratione Virtutis Theologice.

6. Possibilis est naturalis dilectio Dei super omnia, quia naturaliter cognoscitur Deus, vt dignus, qui ametur super omnia alia, rebusque omnibus præferatur per amorem; quia naturaliter cognoscitur, vt habens bonitatem maiorem, quàm habeant omnia alia, tum distributiue, tum collectiue sumpta. Dilectio autem naturalis Dei, non est actus Virtutis Theologice, prout in præsentia sumitur Virtus Theologica, vt liquet ex quæst. 1. Ergo, vt esset comune Virtutibus Theologicis, ferri in Deum super omnia, per omnes, & quolibet suos actus; non tamen id posset iisdem attribui, tamquam proprium, & peculiare prædicatum ipsum.

Art. 1. Resp. Ex præcedentibus quæstionibus colligitur esse de ratione Virtutis Theologice positiuè, & priuatiue, vt feratur in Deum super omnia, id est, id conuenire omnibus, & solis actibus Virtutum Theologicarum. Dictum enim est, Virtutes Theologice esse homini necessarias, vt sit rectè ordinatus respectu Dei, vt auctoris, & vltimi sui finis supernaturalis, eisdemque eidem esse, ad hoc ipsum omnino sufficientes. Non autem essent ad hoc necessaria, si id aliunde quàm ex ipsis haberi posset; neque sufficientes, si ex iisdem hoc ipsum non haberetur. Homo enim est rectè ordinatus respectu Dei, quando ipsum præfert rebus omnibus, & vnde hoc habet, inde etiam habet, vt sit rectè ordinatus, & quod ad hoc non sufficit, nequaquam sufficit ad rectam ordinationem respectu Dei. Necesse igitur est solas, & omnes virtutes Theologicas, & solos, atque omnes earum actus esse prælatiuos Dei, respectu cæterarum omnium rerum.

Art. 2. Prælatio porro Dei super omnia alia, vt benè percipiatur, & legitimè exponatur; Sciendum est, triplicem esse modum præferendi vnum obiectum alteri. Primò obiectiue, quatenus ratio motiua ex parte vnius præstat rationi motiue ex parte alterius. Secundò intensiue, quatenus maiori vi, ac conatu adheret vni, quàm alteri. Tertiò appetitiue, quatenus quis ex vi sui actus paratus est recedere potius ab assensu, vel amore vnius obiecti, quàm alterius. Sciendum rursus, To omnia efferri posse, comparatione eorum etiam obiectorum, quæ impertinenter se habeant respectu obiecti, de cuius prælatione agitur; vel comparatione eorum, quæ ei congruunt, vel denique comparatione eorum tantum, quæ eidem repugnant. Cum igitur hæc ita se habeant, meritò dubitatur, quoniam ex prædictis modis, an etiam omnibus, præferendus sit Deus rebus omnibus aliis; ita vt saluetur conceptus essentialis Virtutis Theologice.

Art. 3. Licet autem solat hoc inquiri à Theolo-

Vu 3

gis de sola Charitate; difficultas tamen est Fidei quoque, & Spei communis, ut patet ex ratione initio deducta ex munere Virtutis Theologicæ in communi. Et confirmatur ex D. Thom. tribuente prælationem Dei super omnia eodem prorsus modo, tum singulis seorsim, tum omnibus simul Virtutibus Theologicis. Quia 2. 2. qu. 5. ar. 4. ad 2. de Fide sic ait. *De ratione Fidei est, ut veritas prima omnibus præferatur.* Similiter de Spe in 3. dist. 26. qu. 2. ar. 2. ad 2. *Vnde, ait, qui habet Spem, sperat Deum consequi, speratque per ipsum omnia necessaria, quantumcumque sint difficilia, obtinere, & sperat omnia nociua, quantumcumque sint difficilia, repellere.* Quod patet fieri non posse, quin fundamentum, seu motuum sperandi, quod est Deus, omnibus aliis utcumque pugnantibus in contrarium præferatur. Iam de Charitate nimis nota est hæc doctrina, ut apparet ex verbis sancti Doctoris q. 2. de Virtut. ar. 9. c. *Dicendum, quod secundum omnem sententiam, & auctoritatem scripturæ indubitanter iste ordo Charitatis seruandus est, ut Deus affectu, & effectu super omnia diligatur.* Demum loco cit. distinct. 26. tradit documentum omni Virtuti Theologicæ commune quoad hoc punctum, aicens: *Virtutes Theologicæ, quæ habent finem ultimum pro obiecto, non solum operantur circa ipsum secundum se, sed ut est directum ad aliorum, quæ sunt ad finem, & ideo sunt quodammodo principia aliarum Virtutum.* Oportet igitur dare conceptum prælationis Dei super omnia communem omnibus Virtutibus Theologicis.

Art. 4. Certum primò est, de ratione Virtutis Theologicæ esse, ut præferat Deum obiectivè cæteris omnibus cuiuscumque conditionis obiectis. Quia Deus, quem dictum est esse motuum formale ipsius, præeminet infinito excessu cæteris omnibus motuivis, & movet tam intellectum, quam voluntatem, quatenus sic præminens. Verùm huiusmodi prælatio non est discretiva Virtutis Theologicæ per se infusa, à quavis alia virtute: quia est communis cognitioni etiam, & amoris Dei naturali. Certum rursus videtur, non esse de ratione Virtutis Theologicæ, maiorem intensiorem actus circa Deum, quam circa quodvis aliud obiectum. Primò, quia actus intensi, & remissi sunt eiusdem speciei, ac proinde procedunt ab eadem virtute. Fieri ergo poterit, ut actus Virtutis moralis eliciatur intensissimus, actus verò Virtutis Theologicæ remississimus. Secundò quia Virtutes Theologicæ non secus, ac cæteræ virtutes datæ sunt hominibus, ut illis utantur frequenter, simulque humano modo. Non est autem humanus modus, prout sumus de facto, constitui in via variis impedimentis, & occurrus obiectorum multipliciter distrahentium, ac disceptantium, conatui animi circumcincti, ut frequenter totam actiuitatem secundum totum posse physicum impendamus circa Deum intensiorem semper maiori, quam quæ obiectis aliis indifferentibus, aut etiam honestis impendatur. Demum quia intensio maior unius actus quam alterius, per quam difficulter innotescit, & vix percipi potest, nisi adsit maxima alterius ab altero distantia; Et ne tum quidem facile, nisi voluntatem comitetur æquali applicatione appetitus sensitivus. Quapropter, si excessus intensiōis esset de cōceptu Virtutum Theologicarum, præcepta de ipsarum exercitio coniceret homines in infinitam quandam perplexitatem, ac desperationem de certitudine morali circa adimplerionem eorum.

Art. 5. Superest igitur, ut prælatio ista Dei super cætera omnia non in eo præcisè fundata sit, quod motuivum, ut re ipsa est, ita etiam actu cognoscatur cum assensu, esse præstantius cæteris omnibus, & ametur quatenus tale à vo untate; sed in eo quod ita præferatur, siue auctoritas per assensum, siue bonitas per amorem, ut animus ex vi eius actus sit paratus contemnere, ac dimittere cætera omnia, quæ repugnant vel assensui talis auctoritatis, vel amoris talis bonitatis; adeoque ad

superandas omnes contrarias difficultates, ne recedat ab eo assensu, vel amore. Istum prælationis modum tribuit Divus Thomas Charitati citata quæst. 2. de Virtutibus, quæ est de Charitate, art. 10. ad 4. *Est autem ratio Charitatis, ut Deus super omnia diligatur, & nullum creatum ei præferatur in amore. Vnde cum omnis tentatio ex amore alicuius boni creati proveniat, vel ex timore mali contrarij, quod etiam ex amore derivatur, ex sua specie hoc habet Charitas in quolibet statu, quod cuilibet tentationi resistere possit.* Est autem eadem prorsus ratio de Fide adversus omnes tentationes, & rationes repugnantes assensui primæ veritatis; necnon de Spe, adversus omnia commoda, & nocumenta, quæ contradicunt adhesionem divinæ promissionum. D. Thomæ subscribunt expressè Turrian. Coninc. Amic. & alij plures apud ipsos, qui ob identitatem rationis censendi sunt idem sentire de Fide, & etiam de Spe.

Art. 6. Ratio porro pro istiusmodi prælationis Dei explicatione, eiusque veritate, est ferè eadem cum ea, quæ prius data est pro prælatione secundum se, nempe Virtutes Theologicas dare, ut feramur in Deum, ut primum auctorem, & ultimum finem supernaturalem provt oportet, & provt ipsum decet. Ad hoc nimirum, & non ad attingendum qualitercumque Deum, necessaria sunt auxilia actualia Gratia non solum habitualis; sed etiam actualis, ut liquet ex testimonio Concilii Arauscani, Tridentini, & aliis, quæ producta sunt q. 7. de Grat. & ex se patet ad attingendum Deum, non provt oportet, & modo, qui ipsum non decet, sufficere vires naturales. Non autem fertur in Deum, provt oportet, & provt ipsum decet, siue per assensum, siue per dilectionem, qui ita fertur, ut paratus non sit ex vi sui actus ad contemnendam, ac reiiciendam quamlibet aliam auctoritatem, ac rationem pro retinendo assensu auctoritatis divinæ, & quamlibet aliam bonitatem, pro retinendo amore divinæ bonitatis, quod ex ipsa terminorum apprehensione evidentissimum apparet. Confirmatur paritate ex humanis. Qui enim ita assentiretur narrationi hominis veracissimi, & certissimè conscij rei, de qua loquitur; vel diligeret moribus, ac dotibus naturæ præcipuum, ut paratus esset recedere ab eo assensu, & amore propter testimonium hominis mendacissimi, & ignorantis eandem rem, & ob amorem hominis vndequeque vilissimi; profectò is non ageret iuxta normam virtutis, sed maxime indecenter. Manifestum autem est multò magis dissimulare similem comparisonem Dei cum quolibet creato.

Art. 7. Ex his perspicitur omnia illa, quibus debet præferri, & præferatur necessariò Deus per Virtutem Theologicam, esse ea omnia, & sola, quæ opponuntur exercitio eiusdem Virtutis, & permanentia talis exercitij; nec simul retineri possunt cum motuivum eius formali. Vnde Fides debet præferre auctoritatem divinam cuilibet alij auctoritati, & rationi naturali, pugnantem contra Veritatem eorum, quæ reuelantur à Deo. Eadem est ratio de Spe, circa omnia, quæ repugnant firmitati adhesionis ad divinas promissiones, & de Charitate, circa omnia opposita dilectioni ipsi. Et iis quidem præfert Deum absolute Virtus Theologica; conditionatè verò cæteris etiam quibuscumque creatis, absque vlla limitatione; sub hac videlicet conditione, si opponerentur Fidei, Spei, aut Dilectioni divinæ.

Art. 8. Inquam verò, absque vlla limitatione, ut includam ea omnia, circa, quæ eiusmodi hypothesis fieri potest, quin eo ipso destruat motuivum formale Virtutis. Nam quæ illud destruunt, nec implicite, nec explicite includi possunt in actu virtutis. Sunt autem aliquæ eiusmodi hypotheses, ut, si Deus reuelaret, *Se non existere*, aut, *se esse mendacem.* Nec enim licet sub hac hypothesis contemnere conditionatè rationes naturales,

turales, pugnantes pro existentia, & veracitate Dei, quæ tali reuelationi, cuiusque assensui contradicunt. Quod notare oportuit propter aliquas nonnullorum tricas, quarum aliqua exempla proferuntur in progressu.

Ad 1. Virtutes Theologicæ reddunt hominem impeccabilem circa, & contra suum motuum in sensu composito ipsarum, id est, reddunt impotentem componere cum ipsis peccatum graue vitij oppositi. Cæterum non reddunt impeccabilem absolute, & etiam in sensu diuiso. Quia sicut liberè concipiuntur actus Theologicis ita etiam liberè conseruantur, & possunt, cum liberit, si pedit, & excludi per peccatum mutata priore animi dispositione. Quare actus Virtutis Theologicæ solum habet ex prælatione Dei super alia, communicare an mo firmitatem quandam, & promptitudinem vsque ad maiorem, quam haberet independentem ab ipso, ad reiicienda ea, quæ motui eius contradicunt, vt vi sua præcisè reddat possibilem moraliter, & prudenter sperabilem victoriam omnium contrariarum tentationum; non tamen reddit infallibilem eandem victoriam propter præsentem arbitrij mutabilitatem circa ipsum actum Theologicum.

Ad 2. Peccata venialia non contrariantur simpliciter; sed tantum secundum quid Virtuti Theologicæ; tamen si peccata sint circa eandem materiam, & pertineant ad vitium directè contrarium. Fieri enim potest, vt retineatur ex. gr. assensus fidei circa aliquod mysterium, simulque admittatur liberè aliqua cogitatio ingerens difficultatem contra illud, cum periculo aliquo remoto formidinis, aut etià hæresis contrariæ: Idèque similiter accidit in Spe, & Charitate. Nempe peccata venialia, non tam sunt contra, quam præter vitium finè, vt dicit sæpè D. Tho. nec possumus, dum sumus in via, ita perfectè adherere Deo, vt excludamus affectiue, & effectiue venialia. Vnde, quod dictum est de Prælatione Dei super omnia per Virtutes Theologicas, accipiendum est de omnibus contradicentibus Deo simpliciter, & absque addito diminuenti, id est, de omnibus, & solis grauitè contrariis.

Art. 1. Ad 3. Falsum in primis est, actus Theologicos elici aliquando absque aduertentia aliqua ad motuum contrarium, quia eliciuntur liberè: quod fieri non potest absque aduertentia actuali ad aliquod motui alicuius ad eorum omissionem, atque hoc motuum non potest esse, nisi aliquid creatum, & contrarium motui perfectionis diuinæ. Istud porro motuum contrarium nunquam spernit, reiicitque Virtus Theologica, præcisè quia est parui momenti, aut tantæ determinatè delectationis, vtilitatis, aut etiam nocimenti distincti ab exclusionem Dei; sed quia est exclusiuium Dei, & oppositum auctoritati, aut bonitati diuinæ, quatenus à nobis amplectendæ; sub qua ratione vt pote vniuersali, patet comprehendere indiuisibiliter omnia, quæ contrariantur, siue fidei, siue amoris Dei, ideoque adesse virtualiter, & implicite actualem aduertentiam ad omnia illa.

Art. 2. Deinde prælatio Dei super omnia, quæ est propria Virtutis Theologicæ, non consistit formaliter in comparatione explicita Dei cum creaturis, sed in tali adhesionem ad Deum, vt vi eius homo reddatur promptus ad reiicienda cætera omnia pro retinendo Deo; sicut quis amore amicitia erga hominem redditur promptus ad contemnenda sua commoda, aut diuitias pro incolumitate amici. Quod faciliè quisque in se conicit fieri absque actuali aduertentia ad ea obiecta; adeoque cum implicita tantum, & virtuali comparatione eorum cum amico.

Art. 1. Ad 4. Conceditur, quod est verissimum, maiorem intensiorem actus circa Deum, quam circa obiecta creata, non esse de ratione, & essentia actus Theologici, vt de Charitate existimarunt Scotus, & Durandus; sed negatur, eandem maiorem intensiorem

esse conuertibilem cum prælatione simpliciter vnitis obiecti respectu alterius, & cum appetitiua maiori adhesionem ad vnum, quam ad aliud. Et denique cum Virtute effectiua maiori ad contemnendum vnum comparatione alterius, vt perperam idem existimarunt. Accidere nimirum potest, vt quis intensissimè feratur in obiectum exiguae bonitatis, quia non attendit actualiter ad imperfectiones ipsius, nec ad perfectiones maiores aliorum obiectorum impossibilitatem cum ipso; eaque de causa, vel ex mera sua electione libera applicat omnes suas vires, omnemque aut maximam suam actiuitatem impendit in eius amorem, à quo tamen recedit facillimè; licet non tam faciliè, atque si amasset remissè, accedente postea attentione ad eas perfectiones, & imperfectiones, vel meliore illarum consideratione. Idem contingit in assensu pertinaci intellectus, quando fallitur æquiuocatione, aut nititur debili ratione, non attenta eius debilitate, nec vi maiori contrariarum rationum. Accidit etiam è conuerso, vt quis feratur admodum remissè in obiectum magnæ perfectionis, ob diuersionem mentis, & affectus in alia obiecta minoris momenti; & nihilominus cum ventum est ad necessitatem amittendi alterutrum ex illis, aut recedendi ab alterutro, facillimè cætera contemnat, vt retineat illud, ad quod remissè ferebatur; nec secus, nisi difficultè, facere possit. Quia scilicet illud obiectum cæteris ab initio prætulerat appetitiuè.

Art. 2. Non sunt igitur conuertibiles, siue mutuo, siue non mutuo excessus appetitiuius, & excessus quoad intensiorem; atque ille affectus est maior simpliciter, qui excedit appetitiuè, licet minor quoad intensiorem; Quia pollet maiori vi ad inducendum effectum, aut inducit effectum præstantiorem. Ideoque amor, qui est maior appetitiuè, eo ipso est maior simpliciter, quoad affectum, & effectum simul, quam qui est maior quoad intensiorem tantum. Equiuocationem forè peperit in hac re, quod maior intensio actus inducat, cæteris paribus, maiorem difficultatem recedenti ab obiecto ipsius.

Art. 3. Cuius ratio est, quia quilibet actus per seipsum placet habenti; & quo est intensior, placet magis. Recedimus autem difficilius, cæteris paribus, ab eo, quod placet magis. Constat deinde vnicuique per experientiam, cuiuslibet suo actui inesse vim aliquam resistendi actui contrario, nec tam faciliè esse retractionem, quam faciliè fuisset ab initio elicere actum oppositum. Ea autem vis resistitiua identificata cum actu non potest non augeri, aucta per intensiorem entitate actus. Quæ ratio non minus viget in actu Virtutis Theologicæ; sed multo magis, quia nititur, si est actus intellectus motui infallibili, & si est voluntatis, bonitate infinita proposita per cognitionem infallibilem, non subruendis faciliè, per te loquendo, subrepente aliqua alia cognitione circa alia obiecta, vt paulò prius de aliis actibus dicebatur: atque his innixa fundamentis maior intensio auget solidissimè vim resistendi omnibus contrariis. Hinc in Evangelio, & apud Augustinum, atque alios, frequenter occurrunt, magna, & parua Fides, atque Charitas, & maior maioris, quam minoris commendatio, pro maiori vi perseuerandi, ac resistendi difficultatibus contrariis. Quæ cõparatio intelligenda proculdubio est de maiori, & minori intensiõne. Quoad hanc nimirum solam comparati sic inuicem possunt actus Virtutum Theologicarum, cum tamen excessus eorundem, quoad actus quorumvis aliorum habituum considerandus præcipue sit, quoad appetitionem.

Ad 5. Licet prælatio Dei super omnia alia sit communis omnibus Virtutibus Theologicis: conuenit nihilominus Charitati, cum vniuersalitate maiori, quam reliquis duabus Virtutibus. Quia Charitati

opponuntur omnia, & singula, quæ cæteris quibuscumque Virtutibus sunt contraria; non autem è conuerso. Charitatis enim scopus est placere Deo in omnibus, & singulis rebus; Cæterarum autem Virtutum, non nisi quoad aliquam peculiarem rationem, & materiam. Quæ de causa extat in sacris literis expressius mandatum de Deo cæteris præferendo per Charitatem. Cæterum seruata proportionem ratio doctrinæ est communis Fidei quoque, & Spei.

Ad 6. Est quidem procubio possibilis amor Dei naturalis super omnia; sed dum agitur de vigore naturæ sub ea voce vniuersali solum comprehenduntur omnia naturaliter occurrentia in contrarium, quibus nimirum solis superandis sufficit ille amor. At amor supernaturalis amat præterea super omnia etiam supernaturaliter occurrentia in contrarium, & pollet vi ad ea superenda pro adimplerione præceptorum supernaturalium, quod est longè difficilior. Differt rursus quoad hoc Virtus Theologica tam à prædicto Dei amore naturali, quam à proposito concepto ex metu gehennæ de vitandis omnibus oppositis Fidei, aut Spei, aut Charitati, aut triplici simul huic Virtuti, & sic de aliis similibus propositis motui vniuersalis. Differt, inquam, quia Virtus Theologica nititur nobiliori, ac longè validiori motui, ut superius expositum est; ideoque elicit actum pollentem vi longè maiori ad reiicienda omnia occurrentia in contrarium, cuiuscumque sint conditionis, absque vlla limitatione implicita, vel explicita. Merito ergo Virtuti Theologicæ adscribitur, tanquam prædicatum proprium ipsius, prælatio Dei super omnia absolutè, & simpliciter, cum de nulla virtute dici possit, nisi secundum quid.



QVÆSTIO V.

Utrum habitus Virtutis Theologicæ, & vitij contrarij sint impossibiles mutuo, saltem in gradibus intensis?



IDENTVR esse impossibiles. 1. Quia habitus virtutum naturalium sunt intrinsecè impossibiles cum habitibus vitij contrarij, saltem in gradibus intensis, ut fert communis omnium, & vera sententia, eademque per experientiam manifesta. Nemini enim contingit simultaneè esse valdè propensum, ac facilem ad actus alicuius virtutis naturalis, & ad actus vitij contrarij; sed per acquisitionem magnæ propensionis, ac facilitatis ad alterum eorum extremorum, deperditur magnitudo propensionis, ac facilitatis ad alterum. Habitus autem supernaturales, & maxime Theologici, sunt maioris longè perfectionis, quam virtutes naturales; & quod vnumquodque est præstantius in genere suo, eò minus secum compatitur in eodem subiecto de malo opposito. Sunt igitur à fortiori impossibiles virtutes Theologicæ cum vitij contrariis, saltem in gradibus intensis.

2. Essè conuersum, & auersum eundem respectu eiusdem sunt impossibilia. Habitus autem Theologici conuertunt hominem habitualiter ad Deum. Quia infunduntur, sicut dictum est, ut homo per ipsas sit rectè ordinatus respectu sui vltimi finis, quod non habetur sine conuersione ad Deum, & auersione à creaturis. Habitus verò vitij contrarij reddunt hominem auersum à Deo habitualiter, quia habent naturam, & vim contrariam virtutibus, quibus directè opponuntur. Eadem est impossibilitas, qua im-

plicat, ut idem simul sit virtuosus, & vitiosus, bonus, & malus simpliciter, quorum alterum habetur per virtutes Theologicas, alterum per vitia contraria.

3. Qui præhabet habitus Theologicos, non potest deinde acquirere habitus vitiosos illis contrarios, quoad gradus intensos, vel remissos, quin amittat habitus bonos contrarios, vel totaliter, vel saltem quoad totidem gradus. Eadem autem est ratio de excludendo habitu vitioso, per infusionem habitus boni, quia eadem est alterutrum habitus ad alterum oppositum. Nunquam igitur contingere potest, ut simul ab eodem habeantur virtutes Theologicæ, & vitia contraria, saltem in gradibus intensis.

Art. 1. Resp. Habitus virtutum Theologicarum, alioque per se infusos esse compossibiles, etiam quoad gradus intensos, cum vitij oppositis communis, & vera Theologorum sententia est, vno tantum, vel altero renitente, ut renititur M. Bannez, qui communi sententiæ immeritò refragatur; quia recens conuersus ad fidem, aut ab iniustitia ad iustitiam; tametsi conuersionem peregerit feruenti, & admodum intensa dispositione; ideoque omnes habitus per se infusos nactus sit similiter intensos; sit tamen ante conuersionem fuit admodum vitiosus, experitur se post illam, non minùs, certè non multò minùs procliuem, & facilem, quam antea ad actus vitiorum; ita ut sensus tentationum impellentium ad illos, sit idem, aut ferè id. in atque antea erat, licet vis resistendi post conuersionem, & iustificationem sit maior.

Art. 2. Ratio à priori, quæ apud alios est valdè difficilis, ac obscura, reuocatur in principium traditum quæst. 15. de gratia: Quod habitus, aliaque qualitates purè physicæ, ratione sui præcisè, ac immediatè, conferant quidem facilitatem physicam ad actus, quorum sunt effectiui, eamque, quod sunt intensiores, plus augeant; nullam tamen conferant inclinationem, ac propensionem ad eosdem, nec vim vllam habeant alliciendi, ac determinandi intellectum, aut voluntatem ad illos potius, quam ad oppositos actus, nisi habitibus accedant cognitiones experimentales, & complacentiæ intensiores, quibus solis inest, ut inibi probatum est, eiusmodi vis inclinandi, alliciendi, ac determinandi potentias rationales. Tametsi autem propensiones, & inclinationes physicæ ad terminos inuicem impossibiles, sint, & ipsæ impossibiles inuicem saltem in gradibus intensis, ut patet in grauitate, & leuitate, alijsq; similibus, nihilominus facilitates purè physicæ ad producendos effectus inuicem impossibiles, non sunt similiter impossibiles inter se necessitè, ut patet in voluntate habente simultaneè summam facilitatem ad volitiones, & nolitiones plurimum motionum corporalium, aliorumque obiectorum indifferentium.

Art. 3. Habitus autem per se infusi cum non præsupponant per se longam actuum suorum repetitionem, ac proinde non sint coniuncti per se cum cognitione experimentalis facilitatis, & suauitatis actuum elictorum per ipsos, quin fieri possit, ut habeantur etiam in gradibus intensis, absque eiusmodi repetitione, & experientia, possunt utique conferre tum intellectui, tum voluntati facilitatem physicam, etiam maximam, ad actus proprios ipsorum, quin vllam conferant, vel certè quin conferant magnam aliquam propensionem, & inclinationem ad illos, & consequenter possunt componi cum quantalibet facilitate physica ad actus oppositos, constituta per contrarios habitus vitiosos, utcumque intensos. Ergo virtutes Theologicæ non sunt ex sua natura intrinsecè impossibiles cum habitibus vitiosis contrariis, etiam quoad gradus intensos.

Ad 1. Habitus virtutum naturalium, & habitus vitij contrarij ambo gignuntur per actus similes sæpè repetitos; & consequenter sunt per se coniuncti cum